

1838

Mikan H 2

MONOGRAPHIA  
BOMBYLIORUM

BOHEMIAE.

P R A G A E,

1796.

Muzeum Przemysłu i Rolnictwa.

№



№

„Inwentarza Biblioteki”.

№ 5833

1446 A

*MONOGRAPHIA*  
**BOMBYLIORUM**


*BOHEMIAE*  
ICONIBUS ILLUSTRATA.

---

AUTHORE  
IOANNE CHRISTIANO MIKAN  
MEDICINAE DOCTORE.

---

P R A G A E,  
APUD IOANNEM HERRL.  
1796.



INCLYTO  
CAESAREO - REGIO  
STUDIORUM PER BOHEMIAM  
CONSESSUI  
  
VIRIS  
OMNI HONORE NOMINANDIS  
ILLUSTRI AC DOCTISSIMO  
DOMINO  
ANTONIO STRNADT

AA. LL. ET PHILOS. DOCTORI ; ASTRONO-  
MO C. R. ET SPECULAE ASTRONOMICAE PRAE-  
FECTO ; ASTRONOMIAE PRACTICAE PROFESSORI  
R. P. O.; SOCIETATIS SCIENTIARUM BOHEMICAЕ  
SECRETARIO ; SOC. OECONOMICO-PATRIOTICAE  
PER BOHEMIAM, ET SOC. METEOROLOGICAE  
MANNHEIMENSIS MEMBRO ORDINARIO ; SAXONI-  
CAE LIPSIENSIS MEMBRO HONORARIO ; CIVI RE-  
GIAE URBIS PRAGENAE ; UNIVERSITATIS CA-  
ROLO- FERDINANDEAE PRAGENSIS H. T. REC-  
TORI, VICE-CANCELARIO, NEC NON C. R.  
STUDIORUM CONSESSUS PRAESIDI  
MAGNIFICO.

REVERENDISSIMO AC EXIMIO  
DOMINO  
IOANNI BAPT. SCHMIDT

S. THEOL. DOCTORI, CANONICO ET DECANO  
AD ST. APPOLINAREM; BIBLIOTHEcae CAPITULA-  
RIS BIBLIOTHECARIO; COLLEGII PROFESSORUM  
IN FACULTATE THEOLOGICA REPRAESEN-  
TANTI, ET C. R. STUDIORUM CONSES-  
SUS ASSESSORI.

ILLUSTRI AC CLARISSIMO  
DOMINO  
FERDINANDO WOLDRZICH  
NOBILI DE EHRENFREUND

IURIS UNIVERSI DOCTORI, IURIS CANON.  
ET PRAX. IURID. PROFESSORI C. R. PUBL. ORD.  
COLLEGII PROFESSORUM IN FACULTATE IURL-  
DICA REPRAESENTANTI, C. R. STUDIORUM CON-  
SESSUS ASSESSORI; ATQUE ARCHIEPISCOPA-  
LIS CONSISTORII CONSILARIO ET PER  
REGNUM BOHEMIAE ADVOCATO.

CELEBERRIMO  
IOSEPHO GODEFRIDO MIKAN

AA. LL. PHIL. ET MEDICINAE DOCTORI, S.  
C. R. A. M. ACTUALIS SANITATIS CONSILIARIO,  
CHYMIAE ET BOTANICES PROFESSORI C. R. PUBL.  
ORD., SOCIETATIS OECONOMICO-PATRIOTICAE  
PER BOHEMIAM MEMBRO ORDINARIO; COLLEGII  
PROFESSORUM IN FACULTATE MEDICA RE-  
PRAESENTANTI, ET C. R. STUDIORUM  
CONSESSUS ASSESSORI,  
PATRI CHARISSIMO,

QUEM PRIMUM SIBI IN STUDIO NATURÆ DUCEM ET  
FAUTOREM VENERATUR.

REVERENDISSIMO AC EXIMIO  
DOMINO  
CAROLO UNGAR

AA. LL. PHIL. ET S. THEOLOGIAE DOCTORI,  
CONSILIARIO REGIO, ECCLESIAE COLLEGIALIS AD  
S. COSMAM ET DAMIANUM VETERO-BOLESLA-  
VIAE CANONICO; BIBLIOTHECARIO C. R. SOCIET.  
SCIENT. BOHEMICAE MEMBRO; COLEGII PROFES-  
SORUM IN FACULTATE PHILOSOPHICA RE-  
PRAESENTANTI, ET C. R. STUDIORUM  
CONSESSUS ASSESSORI.

REVERENDISSIMO AC DOCTISSIMO  
DOMINO  
FRANCISCO XAV. NOE

AA. LL. ET PHILOSOPHIAE DOCTORI, R. CA-  
NONICO AD OMNES SANCTOS; C. R. CENSORI,  
UNIVERSITATIS HISTORIOGRAPHO, GYMNASII C.  
R. MICRO-FRAGENSIS PRAEFECTO, OMNIUM PER  
BOHEMIAM GYMNASIORUM. REPRAESENTAN-  
TI, ET C. R. STUDIORUM CONSESSUS  
ASSESSORI.

REVERENDISSIMO AC DOCTISSIMO  
DOMINO  
WENCESLAO LEHNHARD

AA. LL. ET PHILOSOPHIAE DOCTORI, ECCLE-  
SIAE METROPOLIT. AD S. VITUM AC REVEREN-  
DISSIMI SEMPER FIDELIS CAPITULI PRAGENSIS  
PRAELATO SCHOLASTICO; SUPREMO SCHOLA-  
RUM NORMALIUM PER REGNUM BOHEMIAE IN-  
SPECTORI; SCHOLAR NORMAL. REPRAESEN-  
TANTI ET C. R. STUDIORUM CONSES-  
SUS ASSESSORI.

HANC MONOGRAPHIAM  
DICAT  
AUTHOR.

---

*LECTORI ENTOMOLOGO.*

BOMBYLIORUM, quos in Bohemia a pluribus annis colligere ac observare mihi licuit, enumerationem & descriptionem exhibeo; quibus & icones, quanta potui fide, a me delineatæ accedunt.

Ne quis rerum quarumdam novitate nominibusque mutatis moveatur, sequentia præmonenda sunt;

NOMINA TRIVIALIA: major, medius, minor, a Linnæi quidem temporibus usitata, neque tamen Entomologis probata, mutavi; non quod mihi, primis his co-

- A

na-

natibus entomologiæ servienti, jus quod-  
dam corrigendi statuendique arrogarem, sed  
ut votis eorum obsequerer, qui, cum  
authoritate publica valeant, hæc nomina  
magnitudini specierum non consentanea,  
imo contraria, eliminanda esse existimant;  
quenadmodum Cl. Fabricius in *Philos.*  
*entom.* pag. 117. §. 37. id non obscure  
his verbis voluisse videtur: "Nomina tri-  
,,vialia nunquam gradum comparativum  
,,admittunt. Comparativus & superlativus  
,,semper comparationem cum reliquis spe-  
,,ciebus ejusdem generis indicant, quæ nul-  
,,lo modo admittenda,, quamvis & ipse in  
*Entom. system. emend.* epitheta: major,  
medius, minor, minimus, retinue-  
rit. Nomina igitur nova adoptavi, quo-  
rum perinde ac eorum, quæ novis specie-  
bus indidi, rationem in sequentibus expono:  
Bombylium discolorem & con-  
colorem a corpore subtus discolore &  
con-

---

concolore nomen habere volui; si nuatum & undatum ab alarum parte nigra, sinuata & undata; nubilum ab alis dimidiato nubilis; venosum a venis alarum crassioribus; ctenopterum ab alarum pettine (*græce κτείς*) cinerascentem, sulphureum, & canescentem a colore vestimenti; pulicarium, quod pulicem magnitudine vix supereret. Quem a sex annis ut speciem novam erminei nomine servavi, nunc (ut regulæ satisfaciam, quæ in *Schneideri newest. Magaz.* pag. 466. proponitur) Panzeri autoritate ductus, pictum nomino. Ater nomen Linnæanum retinuit; maurus id, quod in *Encyclop. method.* accepit.

DIAGNOSES SPECIERUM quoque mutavi, easque descripsi omnes, vel notissimas, eo quod numerus Bombyliorum, Linnæi tempore quinque non excedens, paucis

A 2

ab-

---

---

absolveretur characteribus, nunc vero auctior, plura postulet.

ICONES omnium Bombyliorum a me descriptorum adjicio: tum, quod eas, quæ in operibus pretiosis *Reaumuri*, *Degeeri*, *Schæfferi*, *Sulzeri*, exstant, minus exactas viderem: tum etiam, quod Bombyliorum aliqui, quamquam fatis noti sint, ut: *discolor*, *sinuatus*, & *venosus*, ob affinitatem tamen cum *concolore*, undato & *ctenoptero*, ab iisdem rite discerni debeant; fidæ enim icones species multum inter se affines distinguere optime adjuvant. *Schæfferi* icones Bombyliorum — unam si deimas *B. atri*, qui facile dignoscitur, — adeo inter se convenient, ut alteram pro altera citaverint authores. Apud Sulzerum (Abg. Gesch. d. Inf.) unica *B. sinuati* figura bona, *B. discoloris* vero minime respondet.

Ita

---

---

Ita etiam Panzeri figura, (*init. faun. inf. germ.* fasc. 24. tab. 24) utpote ab infecto detrito desumta, B. pictum fat bene non exhibet, quamvis aliorum insectorum exactissimas dedisset icones. B. atri, ne sola hujus icone careret monographia, etiam addidi delineationem, quæ alibi, quam in *Schæfferi icon. inf. Ratisb.* opere pretioso, quod sciam, non occurrit. Hinc non reor, me per icones omnium specierum hic descriptarum entia sine necessitate multiplicasse.

CHARACTEREM GENERIS nomino, quem Fabricius characterem generis essentialiem dicit, eique has solummodo notas ad numero, quæ ad discernendum genus ab omnibus aliis necessariæ sunt. Notam itaque ab antennis sumtam, Linnaeum, Scopoliumque secutus, neglexi, cum hanc ad descriptionem ge-  
ne-

---

---

neris quidem pertinere, ad definiendum autem characterem generis necessariam non esse, existimem: satis enim sola instrumentorum cibariorum structura hoc genus ab aliis distinguit. Hæc ratio respondeat quoque quæstioni Clariss. de Villers, quam in *Entom. Linn.* Tom. III. pag. 656. his verbis proponit: "An character ex „antennis sumitus ad hoc genus determinandum necessarius? ut creditit illustr. Dom. Degeer.,,

Characterem naturalem a Fabricio (*Phil. ent.* pag. 97.) sic dictum, cum illo, quem (*Ent. syst. emend. præfat.*) secundarium vocat, conjungo, & DESCRIPTIONEM GENERIS appello.

ARTICULOS PEDUM in descriptione generis induxi duos, quorum Entomologi  
huc-

hucusque mentionem vix faciunt, nominibusque capitulo & condylo donavi, donec alii meliora creaverint. CAPITULUM primus est articulus, quo pedes corpori committuntur, quem Panzerus in Elevteratis (*vide ejus Ent. germ. in explicatione generum delineatorum*) squamulam articuliformem vocat; hunc inter & femur alias articulus parvus, munito præprimis oculo, observatur, quem CONDYLUM nomino.

Supereft, ut **A u t h o r e s** indicem, quos in examinandis & comparandis Bombyliis consului; ne, si quid a me prætermisum foret, quod in aliorum scriptis mihi ignotis forte occurreret, id incuriae meæ, sed librorum potius defectui tribueretur.  
Sunt autem :

BRAHM Infektenkalender. Mainz.

1790.

De-



---

DEGEER Abhandlungen zur Geschichte  
der Insekten. (Uebersetzt von  
Goetze.) 7 Bände in 4<sup>to</sup> Leip-  
zig. 1776—1783.

---

— Genera & species insectorum,  
e scriptis authoris extraxit Re-  
tzius. Lipsiæ. 1783.

\* ENCYCLOPEDIE METHODIQUE. Histoire na-  
turelle. Tome IV. Insectes. 4<sup>to</sup> A  
Paris & a Liege. 1789.

FABRICII Systema Entomologiæ. Flens-  
burgi & Lipsiæ. 1775.

— Genera insectorum. Chilonii  
1777.

— Philosophia entomologica. Ham-  
burgi & Kilonii. 1778.

FA-

---

---

FABRICII Species insectorum. Hambur-  
g i & Kilonii. 1781.

— Mantissa insectorum. Hafniæ.  
1787.

— Entomologia systematica emenda-  
ta & aucta. Hafniæ. 1792.

FUESSLY Verzeichnis der Schweitzer In-  
sekten. Zürich und Winter-  
thur. 1775.

GEOFFROY Histoire abrégée des insectes.  
Tomes II. 4<sup>to</sup> A Paris. 1764.

LINNE Systema Naturæ. Editio XII.  
Holmiae. 1766.

— Systema Naturæ. Ed. XIII. cura  
Gmelin. Lipsiæ. 1788.

Lin-

**LINNE** Fauna svecica. Ed. altera, Stockholmiae. 1761.

**MÜLLER** Fauna insectorum Fridrichsdalina. Hafniæ & Lipsiæ. 1764.

**PANZER** initia faunæ insectorum germanicæ. Fasc. I. — XXXIII. Nürnberg. 1793.

**PETAGNA** Specimen insectorum ulterioris Calabriæ. Francofurti & Moguntiæ. 1787.

**PODA** Infecta Musæi græcenfis. Græcii, 1761.

\* **REAUMUR** Memoires pour servir a l' histoire des insectes. Tomes VI. 4<sup>o</sup> A Paris. 1734 — 1762.

\* **Rossi** Fauna etrusca. Tomi II, 4<sup>o</sup> Liburni. 1790.

SCHÆF-

=====  
\* SCHÆFFER *Icones Insectorum circa Ratisbonam.* 4<sup>to</sup> Ratisbonæ. 1766.

SCHRANK *Enumeratio insectorum Austriae.  
Augustæ Vindelicorum.*  
1781.

SCOPOLI *Introductio ad historiam naturalem.* Pragæ. 1777.

— *Anni historico-naturales.* Lipſia. 1769 — 1772.

— *Entomologia carniolica.* Vindobonæ. 1763.

SULZER *Kennzeichen der Infekten.* 4<sup>to</sup> Zürch, 1761.

— *Abgekürzte Geschichte der Infekten.* 2 Bände. 4<sup>to</sup> Winterthur. 1776.

THUN-

---

THUNBERG Charakteres generum insectorum, edidit Meyer. Göttingæ. 1761.

\* VILLERS Entomologia Linnæi. Tomi IV.  
Lugduni. 1789.

Hæc dicta Entomologo sufficient ut monographiam hanc æquo judicio prosequatur.  
Pragæ Bohemorum, die 30 Martii 1796,

---

Authores \* notatos ex Bibliotheca Cæs. Reg.  
Pragensi benevole communicavit Reverendiss. ac eximius Dom. Ungar Cæs. Reg.  
Consiliar. & Bibliothecæ Præses; cæterorum usus ex Bibliotheca patris mei mihi  
concessus fuit.

BOM-



## BOMBYLIUS,

insectum bialatum halteratum, *a summo historiæ naturalis restauratore Linnæo* Dipteris adnumeratum, Halteratisque *a Cl. Scopolio*; maxillis mandibulisque carens, haustello præditum; *a Cl. Fabricio* inter Antliata collocatum.

### CHARACTER GENERIS secundum plures Authores.

*Linn. Syst. Ed. XII. pag. 1009.*

BOMBYLIUS Os rostro porrecto, setaceo, longissimo, bivalvi: valvulis horizontalibus, intra quas aculei setacei.

*Linn.*

*Linn. Syst. Ed. XIII. Gmel. p. 2902.*

**BOMBYLIUS** Os haustello longissimo, setaceo, recto, bivalvi: valvis inæqualibus, setisque tribus.

**OBSERV.** Bene mutavit cl. Gmelin rostrum in haustellum, addiditque: tribus setis; minus bene neglexit: horizontalibus. M.

*Fabr. Syst. Ent. pag. 802.*

**BOMBYLIUS** Os haustello absque proboscide. Haustellum longissimum, rectum, setaceum, bivalve. Antennæ filiformes.

*Fabr. Mant. Ins. II. pag. 365.*

**BOMBYLIUS** Haustellum longissimum, rectum, setaceum, bivalve. Antennæ subulatæ, basi connatæ.

**OBSERV.** Bene mutavit antennas filiformes in subulatas. M.

*Fabr. Ent. emend. & auct. Tom. IV  
pag. 407.*

**BOMBYLIUS** Haustellum longissimum, rectum, setaceum, bivalve. Palpi duo pilosi. Antennæ subulatæ, basi connatæ.

OB.

**OBSERV.** Bene addidit palpos. Antennæ autem basi connatae non sunt, sed approximatæ. M.

*Scopoli introduct. ad bist. nat. pag. 428.*

**BOMBYLIUS** Rostrum bisetum, porrectum; vagina bivalvi; valvis palpigeris.

**OBSERV.** Rostrum bisetum mutandum est in Haustellum trisetum. M.

*Scopoli Ent. carniol. pag. 375.*

**BOMBYLIUS** Os armatum rostro bifeto: vagina longa porrecta bivalvi: valva superiore breviore integerrima aristata, inferiore apice bifida mutica.

Palpi duo depresso, e basi valvæ inferioris.

**OBSERV.** Characterem optime exprimit; excepto rostro bifeto. M.

*Geoffroy* Bombylios Asilis adnumeravit.

*Schrantz, Poda, de Villers* ex Linn.  
*Syst. Ed. XII. Rossi* ex Fabr. Mant.  
assunserunt characterem.

*Eu-*

*Encyclop. method. Hist. nat, Tom. IV.*  
pag. 323.

BOMBILLE. BOMEYLIUS.

Characteres gènèriques.

Antennes de la longueur de la tête, composées de trois articles, dont le premier est presque cylindrique, le second globuleux, & le troisième allongé & terminé en pointe.

Trompe longue, mince, déliée, porté droite en avant, composée de cinq pièces, dont l'inférieure est bifide.

Deux antennules courtes, composées de trois articles, & inserées, à la base latérale de la trompe.

Pattes minces & déliées.

Corps souvent très — velu.

*Degeer gen. & spec. insect. e script.  
autb. extraxit Retzius pag. 24.*

BOMEYLIUS Antennæ longitudine capitis, articulo tertio ultimo crassiore elongato. Rostrum longum, setaceum, porrectum, bivalve : valvulis horizontalibus, intra quas aculei setacei. Abdo-

domen breve, crassum. Alæ subextensæ.

*Thunberg charact. gen. inf. edidit Meyer. p. 44.*

**BOMBYLIUS** Haustellum porrectum, longissimum. Antennæ subulatæ. Caput depresso. Corpus ovale. Alæ extensæ.

*Fabricii character generis naturalis.  
Gen. inf. p. 205.*

**BOMBYLIUS.**

*Os* haustello palpisque absque proboscide.

*Haustellum* elongatum, rectum, setaceum.

*Vagina* bivalvis, valvulis inæqualibus: inferiore longiore, setacea, involuta, setas continente, apice acuminata, fissa, superiori porrecta, filiformi, acutissima.

*Setæ* tres, subulatæ, inæquales, intermedia longitudine vaginæ, lateralibus brevioribus, acutis, rigidis.

*Palpi* duo breves, pilosi, triarticulati: articulis æqualibus, cylindricis, basi laterali haustelli inferti.

B

An-

*Antennæ breves, approximatæ, filiformes, apice acuminatæ.*

*Metamorphosis omnino adhuc latet.*

*Victus imaginis e nectare florum.*

*Fabricii character gen. secundarius. Ent.*

*Syst. emend. Tom. IV. p. 407.*

Bombylii corpus medium, ovatum, hirtum, immarginatum, agile, capite thorace angustiore, rotundato, exerto, oculis magnis, oblongis, apice conniventibus, lateralibus, antennis basi connatis, medio frontis insertis, thorace ovato, gibbo, scutello vix conspicuo, abdome subrotundo, obtuso, alis duabus expansis, basi acutis, halteribus parvis: capitulo compresso, obtuso, pedibus longiusculis, tenuibus, cursoriis.

### CHARACTER GENERIS

*a me statutus.*

Haustellum elongatum, rectum, setaceum, vagina bivalvi; valvulis horizontalibus inaequalibus: superiore breviorre, aristata, acutissima, inferiore apice bifida. Setæ tres inaequales: media longiore plana, lateralibus teretibus.

Palpi duo breves, pilosi,

O-

**OBSERV.** A Voluccella & Cytherea generibus in Fabr. Ent. emend. noviter inductis Bombylioque affinibus satis distinguitur genus Bombylii: palpis ab uno, setis valvulisque inæqualibus ab altero.

### DESCRIPTIO GENERIS,

*quæ Fabricii characterem naturalem & secundarium complectitur.*

**C**aput rotundatum, depresso, thorace angustius, plurimis ad basim antennarum barbatum.

**O**culi magni, laterales: in mare maiores, conjuncti, in femina distantes.

**O**celli tres in vertice capitis, triangulo dispositi, munito oculo dignoscendi, intra pilos absconditi.

**A**ntennæ longitudine capitis, fractæ, medio frontis insertæ, basi approximatæ, apice divergentes, acuminatæ, triarticulatæ: articulo primo majori cylindrico pilis longis piloso, secundo parvo rotundato pilis brevibus, ultimo longiore, nudo, subulato, basi capitella-

to, apice setula brevi articulata acuminata instructo. *Tab. IV. Fig. 15.*

**OBSERV.** Antennarum forma discedit *Bomb. pictus.*

**O**s haustello palpisque absque proboscide. *Tab. I. Fig. A.*

**F**oramen oris ovatum, pilosum: margine infero semilunari nudo membranaceo.

*Tab. I. Fig. B. a.*

**H**austellum elongatum, setaceum, rectum, *tubula* brevi cylindrica latere superiore aperta *Tab. I. Fig. B. b.* enatum, *vagina* bivalvi; valvulis horizontalibus inæqualibus: inferiore longiore, involuta, marginibus ante apicem connatis, setam intermediate vaginantem includente, subtus infima basi transverse rugosa, lateribus scabra, versus apicem per futuram transversalem divisiva, apice bifida, plerumque sursum incurva, mutica *Tab. I. Fig. C.*; superiore plana, supra linea longitudinali elevata, subtus carinata, versus apicem attenuata, aristata, acutissima, inferiorem claudente. *Tab. I. Fig. D.*

S e-

**S**etæ tres, acutæ, rigidæ, inæquales: intermedia longitudine vaginæ, plana, dilatata, vaginante, apice exciso-attenuata, e medio tubulæ enata; lateribus brevioribus, teretibus, basi incurvis, margini superiori tubulæ utrinque ad angulum aperturæ insertis, valvulæ superiori plerumque adhærentibus. *Tab. I. Fig. B. c.*

**O**BSERV. Reaumurus *Tom. V. Tab. 3. Fig. 18.* & Degeerus *Tom. VI. Tab. 15. Fig. 11.* duas solummodo setas ostendunt, uti & Scopolius tertiam vaginantem non vidit.

**P**alpi duo breves, pilosi, setarum laterali-um basi adnexi, oblongo - subclavati, basi attenuati. *Tab. I. Fig. B. d.*

**O**BSERV. Omni adhibita diligentia in palpis perlungstrandis nulos vidi articulos, etsi Cl. Fabricius triarticulatos esse afferat.

**C**orpus depresso, hirtum, agile.

**T**horax ovato - rotundatus, aliquantum gibbosus.

Se-

**S**cutellum magnum, obtusum, rotundatum, sub vestimento plerumque absconditum.

**A**bdomen rotundatum, quibusdam oblongum.

**V**estimentum in plurimis lanugine densa constat, in quibusdam pilis fasciculatis: ut in *B. piëlo*, *atro*, & *mauro*; solus *B. pulicarius* nudo oculo nudus videtur. Pili hi facile deteruntur, ideo multi Bombylii in museis semi-nudi apparent.

**A**lx expansæ, longæ, angustæ, basi coarctatae: appendicibus parvis conchæformibus (qui in majoribus Bombyliorum speciebus valido alarum motu ab alis disjunguntur, ut quasi alulis adhuc duabus præditum videatur insectum); costa recta apice tantum incurva, margine tenuiori arcuato.

**V**enarum in alis *decurfus* & *nexus*, qui verbis exprimi nequit, & fere cuique generi proprius est, conspicitur Tab. IV. Fig. 16. in quo tamen aliquantum aberrant *B. maurus* & *pulicarius*.

**H**alteres absque squama, parvi, intra vestimentum pilosum absconditi, plerumque dependentes, duobus constant ar-

ti-

ticulis: uno styliformi, compresso, basi dilatato, apice urceolato; altero granulari, in urceola prioris recepto.

*Tab. IV. Fig. 17.*

**Pedes** tenues, longiusculi, figura inter se similes; postici mediis, medii anticis paullo longiores: *c a p i t u l o* compresso-cilindrico, brevi, crasso, latere externo valde piloso, interno glabro, in pedibus anticis longiore, in reliquo brevior; *condylo* parvo, difformi; *femore* basi incrassato, piloso; *tibia* linearis, recta, fetis brevibus acutis ciliata; *tarso* quinquearticulato, articulis linearibus: primo longissimo, secundo breviori, reliquo brevissimis, subæqualibus; *digitis* duobus parvis, cylindricis, pallidis, stuposis; *ungulis* duabus incurvis, acutis, simplicibus. *Tab. IV. Fig. 18.*  
*pes anticus monstratur.*

**OBSERV.** *Degeer* *Tom. VI. tab. 7.*  
*fig. 11. & tab. 22. fig. 7.* hos articulos omnes in pedibus Dipterorum pulchre ostendit.

Metamorphosis adhuc latet.

Vic-

**Victus imaginis e nectarare florum.**

**Oeconomia.** Volitando e floribus mel Bombylii hauriunt Sphingum instar, at non omnes; plurimis quidem, quos longitudo & rigiditas haustelli sedentes impediret, magna alarum vi & agilitate succurrit natura; qui vero agilitate hac, validisque alarum muscularis carent, hos brevibus donavit haustellis, ne impedimentum adsit ubi levamen deest. Sic *B. maurus* sedendo nectar fugit.

**Locus.** Horti, nemora, prataque florida.

**Tempus.** Ver & æstatis initium.

### Observatio de sexus discrimine.

**Sexus** discriminem externum in Bombyliis & fere in omnibus Dipteronum generibus præbent oculi, quorum in fronte conjunctio vel approximatio marem, distantia feminam indicat. *Tab. I. Fig. E. F.* Primam hujus observationis occasionem mihi dedit *Bomb. ater*, quem copula nexum cepi; deinde in *Tabanis*, *Syrphis*, *Afilis* & aliis idem observare licuit. In *Myscarum* genere oculi maris se non attingunt quidem, sibi approximant tamen; semina semper

per oculis distantibus prædita. Hoc modo solo intuitu oculorum quilibet determinare poterit, qui mas sit, quæ femina. *Dom. Preysler* hanc observationem a me illi communicatam (in *Mayer physic. Aufsätze Vol. III. p. 176.*) prius divulgavit; quamquam nec ego primus hoc observaverim, nam *Degeerus* oculatissimus observator in opere suo *Tom. VI. tab. 6. fig. 20 & 21. tab. 9. fig. 14, 15, 16, 17. tab. 12. fig. 10. 11. tab. 27. fig. 18, 19.* pulcherrima exempla ostendit, & pag. 14. & 50. ejusdem Tomi de hoc sexus discrimine loquitur. *Cel. Panzer* quidem marem & feminam Syrphi tenacis *init. faun. germ. XIV. tab. 23 & 24* proponit, ubi in icone discrimin hoc observatur, nullam tamen hujus mentionem facit in descriptione.

---

SPE-

---

---

S P E C I E S,

quas hucusque in Bohemia observavi,  
funt:

1. Bombylius discolor.
  2. ——— concolor.
  3. ——— pictus.
  4. ——— sinuatus.
  5. ——— undatus.
  6. ——— nubilus.
  7. ——— venosus.
  8. ——— ctenopterus.
  9. ——— ater.
  10. ——— cinerascens.
  11. ——— sulphureus.
  12. ——— canescens.
  13. ——— inaurus.
  14. ——— pulicarius.
- 

*Dia-*

=====  
*Diagnoses,  
Synonimiae & Descriptiones  
specierum.*

I.

**BOMBYLIUS DISCOLOR.** Tab. II. Fig. 1.

*Diagnosis.*

B. alis dimidiato punctisque fuscis, supra  
subrufus, postice subtusque ater.

*Synonymia.*

*Linn. Syst. Nat. Ed. XII. pag. 1009. n. 2.*  
*Bombylius medius*, alis fuscopunctatis,  
corpo flattente postice albo.

— *Fn. svec. 1919.*

— *Syst. Nat. Ed. XIII. Gmel. p. 2902.  
n. 2.*

*Fabr. Syst. Ent. p. 802. n. 2.*

— *Spec. Inf. II. p. 473. n. 3.*

— *Mant. Inf. II. p. 365. n. 3.*

— *Ent. emend. IV. p. 408. n. 3.*

*Villers Ent. III. p. 606. n. 2.*

*B.*

*Scop. Ent. carn.* 1019. *B. medius.* Totus subrufa hirsutie pubescens, postice niger; alis fuscopunctatis.

*Schrank Enum.* 1003. *B. medius.* Alarum margine exteriore, punctisque crebris fuscis.

*Degeer Ins.* (Uebers.) *T. VI.* p. 107. n. 2. *tab.* 15. *fig.* 12. ♂ *Degeer extr.* *Retz.* p. 191. n. 1261. *B. punctatus.* Niger, villis fulvis, alis fuscopunctatis.

*Sulzer Gesch. d. Ins.* *tab.* 28. *fig.* 23.

*Fuessly Schweitz.* *Ins.* n. 1154.

*Encyclop. method.* *Hist. nat.* *T. IV.* p. 326. n. 3.

*Rossi Fn. etrusc.* *T. II.* n. 1588.

*Schaeffer Icon.* *tab.* 78. *fig.* 3.

### *Descriptio.*

**C**aput. ad basim antennarum barbatum: barba subrufa; oculis in vivo infecto viridi nitentibus, in mortuo fuscis.

**H**austellum nigrum, corpore paullo brevius.

**A**ntennæ subulatæ, nigræ.

**C**orpus, pilis demtis, nigrum.

Tho.

**T**horax rufescente pilosus, antice lineolis duabus fuscis brevibus versus caput in angulum confluentibus; subtus ater.

**A**bdomen supra pilis subrufis, postice subtusque atris tectum, a n o in femina serie longitudinali punctorum alborum notato.

**A**læ basi & ad costam fuscæ, margine tenuiori hyalinæ, punctis fuscis ad juncturas venarum.

**H**alteres nigri, stylo fusco.

**P**edes fuscorufi, basi femorum tarforumque apice nigris.

**M**agnitudine omnes superat, excepto sequente, cui æqualis.

**M**ensuræ. Longit. a cap. ad an.  $5\frac{1}{2}$  lin. Par.

— — alæ	· ·	6	—
— — haustelli	·	4	—
Latitudo abdom	·	$3\frac{2}{3}$	—
— — alæ	· ·	$1\frac{3}{4}$	—

**V**ariat rarius paullo minor.

**H**abitat primo vere in hortis & pratis,

## 2.

BOMBYLIUS CONCOLOR. Tab. II. Fig. 2.

*D i a g n o s i s.*

B. alis dimidiato punctisque fuscis, undique flavescens.

*D e s c r i p t i o.*

**C a p u t** ad basim antennarum barbatum: barba flavescente.

**H a u s t e l l u m** nigrum, corpore paullo brevius.

**A n t e n n æ** subulatae, nigrae.

**C o r p u s** si pilis denudetur, nigrum.

**T h o r a x** flavescentepilosus, antice lineolis duabus fuscis brevibus versus caput in angulum confluentibus.

**A b d o m e n** pilis flavescentibus supra infraque vestitum.

**A l æ** basi & ad costam fuscæ, margine tenuiore hyalinæ, punctis fuscis ad juncturas venarum.

**H a l t e r e s** fusconigri, stylo pallidiore.

Pe.

Pedes fusci, basi femorum tarforumque apice nigris.

Magnitudo præcedentis.

Femina mari simillima, distantia oculorum distinguenda.

Habitat primo vere in hortis.

**OBSERV.** Genitalia feminæ in *B. concolore & venoso*, dum vivi sunt, inaurata.

---

## 3.

BOMBYLIUS PICTUS. Tab. II. Fig. 3.

*Diagnosis.*

B. alis' dimidiato punctisque nigris: fusco, maculis duabus abdominis albis, antennis compressis rhombeis.

*Synonymia.*

*Bombylius pictus*: alis nigro pictis, corpore fusco, nudo margine undique fasciculatim piloso, maculisque duabus ani pallidis. *Panzer init. faun. germ. XXIV. tab. 24.*

Hunc Bombylium a me ut novam speciem diu servatum prius produxit *loc. cit.* Panzerus, cuius nomen retineo, et si ejus descrip-  
tio non conveniat, eo quod ad exemplar de-  
tritum facta & proprietates insecti mutillati  
pro notis specificis assumtae fuerint, false  
enim thoracem describit nudum corona pi-  
losa cinctum, abdomeaque margine tantum pi-  
loso.

Con-

Conferat, qui volet, meam cum Panzeri  
descriptione:

*Hujus est:*

Caput pilis ferrugineis setosum. Antennæ compressæ fuscæ. Thorax orbiculatus ater nudus corona pilosa cinctus. Abdomen ovatum atrum nudum, margine omni pilis ferrugineis cum cinarascensibus alternantibus, & fasciculatim positis, obsitus: ano macula gemina oblonga pallida. Alæ magnæ secundum costam dimidiatae nigræ, maculisque sparsis atris pictæ. Pedes postici longissimi.

*Mea est:*

*Description.*

**C a p u t** ab basim antennarum barbatum, barba fusconigra: punctis duobus albis nitentibus ante oculos.

**H a u s t e l l u m** fusconigrum, dimidiam corporis longitudinem paullo superat.

**A n t e n n æ** fusconitentes: articulo ultimo compresso rhombeo, pilis minimis pallide-fuscis — si munito oculo aspiciatur — obsoito, latere interiore apice dilatato; setula apici oblique inserta.

C

Cor-

**C**orpus, demitis pilis, nigrum.

**T**horax supra fuscopilosus, antice lateribus  
que albidus, punctis aliquot nigris;  
subtus niger.

**A**bdomen fasciculatopilosum: pilis rufofus-  
cis, maculis duabus posticis transver-  
salibus albis nitentibus; subtus ni-  
grum.

**A**læ basi & ad costam fusconigræ, punctis  
magnis nigris ad juncturas venarum,  
liturisque nubilis super spatia hyali-  
na inter venas digestis.

**H**alteres nigri.

**P**edes pallide fuscii, femorum basi tarforum-  
que apice nigris.

**M**ensuræ. Longit. a cap. ad an.  $4\frac{1}{2}$  lin. Par.

— —	alæ	- -	5	—
— —	haustelli	-	$2\frac{3}{4}$	—
Latitudo	abdom.	-	3	—
— —	alæ	- -	$1\frac{1}{2}$	—

**O**BSERV. Insectum nitidum, pilis superius ni-  
tore quodam fugace præditis. Semel  
tantum in horto prope Pragam lec-  
tum, mas est, uti Panzeri exemplar,  
quod ex iconè apparet. An femina  
diversa?

## 4.

**BOMBYLIUS SINUATUS.** Tab. II. Fig. 4.

*D i a g n o s i s.*

*B.* alis ad costam sinuato-nigris, flavescens.

*S y n o n i m i a.*

*Linn.* *Syst. Nat.* XII. p. 1009. *B. major* alis dimidiato nigris.

— *Fn. Svec.* 1918.

— *Syst. Nat. Ed.* XIII. *Gmel* p. 2902. n. I.

*Fabr.* *Syst. Ent.* p. 802. n. I.

— *Spec. Ins.* II. p. 472. n. I. *B.* alis dimidiato-nigris sinuatis.

— *Mant. Ins.* II. p. 365. n. I.

— *Ent. emend.* T. IV. p. 407. n. I.

*Villers Ent.* T. III. p. 605. n. I.

*Müller Fn. Fridr.* n. 790.

*Schrank Enum.* n. 1002.

*Brabm. Infektenkal.* n. 138.

*Geoffr. Ins.* II. p. 466. n. I. *Afilus lanigerus*, alarum basi fusca.

C 2

D e-

- Degeer Inf. VI.* (Uebers.) p. 107. n. 1.  
*Tab. 15. Fig. 10.* & *Degeer extr. Retz.*  
*p. 190. n. 1260.* *B. variegatus*, niger, vil-  
 lis griseis, alis dimidiato fuscis & hya-  
 linis.
- Sulzer Kennz. Explan. tabular.* p. 59.  
*Tab. XXI. fig. 140.* *Bombylius anonymous.*  
 — *Geselb. d. Inf.* p. 225. *tab. XXVIII.*  
*fig. 22.*
- Fuessly Schweitz. Inf.* n. 1153.
- Petagna Inf. Calabr.* n. 239.
- Encyclop. method. Hist. Nat. T. IV.* p. 326.  
 n. 1.
- Rossi Faun. etrusc. II.* p. 335. n. 1587.
- Schaeffer Ikon. tab. 121. fig. 3.*

### *Descriptio.*

**C**aput ad basim antennarum barbatum: bar-  
 ba flavescente.

**H**austellum nigrum, corpore paullo brevius.

**A**ntennæ subulatæ, nigræ.

**C**orpus supra pilis flavescientibus tectum,  
 subtus albopilosum, pectoris medio  
 fasciaque abdominis transversa nigris,  
 pilis demitis atrum.

Alæ

**A**læ ad costam dimidiato-nigræ, margine inter nigram partem & hyalinam sinuato.

**H**alteres nigri, stylo fusco.

**P**edes fusi, femorum basi tarforumque apice nigris.

**M**enfuræ. Longit. a cap. ad an. 5 lin. Par.

— — alæ - -	5 $\frac{1}{2}$ —
— — haustelli -	3 $\frac{1}{2}$ —
Latitudo abdom. -	3 —
— — alæ - -	1 $\frac{2}{3}$ —

**V**ariat nigredine alarum versus apicem interrupta, subtusque fascia abdominis vix conspicua ; rarius paullo major.

**H**abitat vere & æstatis initio in hortis & pratis.

**O**BSERV. Oculi huic speciei ut & reliquis in mortuo infecto fusi, in vivo viridi aut fuso-nitentes immaculati.

## 5.

BOMBYLIUS UNDATUS. Tab. II. Fig. 5.

*D i a g n o s i s.*

B. alis ad costam undato - nigris, griseus.

*D e s c r i p t i o.*

Caput ad basim antennum barbatum : barba  
grisea.

Haustellum nigrum, corporis dimidiam lon-  
gitudinem paullo superat.

Antennæ subulatae, nigræ.

Corpus atrum, pilis griseis undique tectum.

Alæ ad costam dimidiato - nigræ, margine in-  
ter nigram partem & hyalinam un-  
dato.

Halteres nigri, stylo fusco.

Pedes fusi, femorum basi tarisque nigris.

OBSERV. Adeo in corpore supra series punc-  
torum alborum longitudinalis per  
thoracem & abdomen decurrentis, quam  
notis specificis adnumerare non au-  
fus

fus sum, feminam enim solam possi-  
deo, & hoc forsan discrimen solum-  
modo sexus, ut in B. discolore.

**Mensuræ.** Longit. a cap. ad an. 4 lin. Par.

— — alæ - -  $4\frac{1}{2}$  —

— — haustelli -  $2\frac{1}{2}$  —

Latitudo abdom. -  $2\frac{2}{3}$  —

— — alæ - -  $1\frac{1}{3}$  —

**Habitat** cum præcedente sed multo rarior.

---

---

6.

**BOMBYLIUS NUBILUS.** Tab. II. Fig. 6.

*D i a g n o s i s.*

B. alis ad costam nubilis, griseus.

*D e s c r i p t i o.*

**C a p u t** ad basim antennarum barbatum: barba supra & lateribus nigra, subtus grisea.

**H a u s t e l l u m** nigrum, corporis dimidiam longitudinem paullo superat.

**A n t e n n æ** subulatae, nigrae.

**C o r p u s** nigrum, pilis griseis undique tectum.

**A l æ** dimidiato-nubilæ, ad marginem tenuiorem hyalinæ.

**H a l t e r e s** nigricantes.

**P e d e s** nigri, femoribus griseo-hirtis, tibiis fuscis.

M a g-

---

Magnitudo. B. undati.

Femina mari simillima, distantia oculorum  
distinguenda.

Habitat cum præcedentibus, rarer.

OBSERV. Forte hanc speciem representat Schæff.  
*Icon. tab. 46. fig. 9.?*

## 7.

BOMBYLIUS VENOSUS. Tab. III. Fig. 7.

*Diagnos.*

B. alis hyalinis: venis crassioribus, flavescens.

*Synonymia.*

Linn. *Syst. Nat. Ed. XII.* pag. 1009. n. 3.

*Bombylius minor*, alis immaculatis.

— *Fn. Svec.* 1920.

— *Syst. Nat. Ed. XIII. Gmel.* p. 2903.  
n. 4.

Fabr. *Syst. Ent.* p. 803. n. 4.

— *Spec. Inf. II.* p. 473. n. 5.

— *Mant. Inf. II.* p. 366. n. 5. B. alis  
immaculatis, corpore flavescente hirto,  
pedibus testaceis.

— *Ent. emend. IV.* p. 409. n. 9.

Villers *Ent. III.* p. 606. n. 3.

*Scop. carn.* 1018. *B. major.* Rufo villo  
mentosus; alis hyalinis, immaculatis,  
basi fuscis.

*Scbrank*

*Schrank Enum.* 1004. *B. minor*, alis immaculatis; fronte corpori concolore.

*Poda Mus. græc.* p. 119. *B. minor*.  $\beta$ .

*Fuesly Schweitz. Inf.* n. 1155.

*Petagna Inf. Calabr.* n. 240.

*Reaumur Inf. IV. tab.* 8. fig. 11 — 13.

*Encyclop. method. Hist. nat. T. IV.* p. 326.  
n. 5.

*Rossi Fn. etrusc.* T. II. n. 1589.

*Schæffer Ikon. tab.* 112. fig. 6.

### *D e s c r i p t i o.*

**C a p u t.** ad basim antennarum barbatum: barba flavescente.

**H a u s t e l l u m** nigrum, corporis longitudinem fere adæquat.

**A n t e n n æ** subulatæ, nigræ.

**T h o r a x** & **a b d o m e n** pilis flavescensibus undique obducta; his detritis, atra.

**A l æ** hyalinæ, basi ob confluentiam venarum parum fuscescentes: venis crassioribus.

**H a l t e r e s** nigri.

**P e d e s** nigri, femoribus griseo-hirtis, tibiis fuscis.

M e n-

Mensuræ. Longit. a cap. ad an.  $4\frac{3}{4}$  lin. Par.

— — alæ	-	-	5	—
— — haustelli	-	-	$4\frac{1}{4}$	—
Latitudo abdom.	-	-	$2\frac{3}{4}$	—
— — alæ	-	-	$1\frac{1}{3}$	—

Variat minor.

Habitat primo vere in hortis, pratis, & nemoribus.

## 8.

BOMBYLIUS CTENOPTERUS. Tab. III. Fig. 8.

*D i a g n o s i s.*

B. alis hyalinis, ad basim costæ pectinatis,  
flavescens.

*D e s c r i p t i o.*

**C a p u t** ad basim antennarum barbatum: barba flavescente.

**H a u s t e l l u m** nigrum, thoracis longitudine.

**A n t e n n æ** subulatæ, nigræ.

**T h o r a x** & **a b d o m e n** pilis fluorescentibus un-  
dique obducta; his detritis, lurido-  
nigra.

**A l æ** hyalinæ, vix basi rufo-tinctæ, & ver-  
sus hanc latiores; basi costæ pectinata.

**H a l t e r e s** albi.

**P e d e s** fuscæ, basi femorum obscuriore, tarolis  
nigris.

O.B.

Mensuræ. Longit. a cap. ad an. 4 lin. Par.

— — alæ - - 4 —

— — haustelli - 2 —

Latitudo abdom. - 2  $\frac{1}{2}$  —

— alæ versus bas. 1  $\frac{1}{3}$  —

Habitat cum præcedente, rarer.

OBSERV. Conspicitur quidem munito oculo  
in reliquis Bombyliis & aliis Diptero-  
rum generibus ejusmodi pecten in  
alis ad basim costæ, in hac vero spe-  
cie notabilis est, & nudo oculo con-  
spiciendus.

## 9.

BOMBYLIUS ATER. Tab. III. Fig. 9.

*D i a g n o s i s.*

B. alis basi nigris, ater: punctis niveis supra; haustello abbreviato.

*S y n o n i m i a.*

*Linn. Syst. Nat. Ed. XII. pag. 1010. n. 4.*

*B. ater*, alis semi-nigris, ater, abdomine albo-maculato.

— *Syst. Nat. Ed. XIII. Gmel. p. 2903. n. 5.*

*Fabr. Syst. Ent. p. 803. n. 5.*

— *Spec. Inf. II. p. 473. n. 6.*

— *Mant. Inf. II. p. 366. n. 8.*

— *Ent. emend. IV. p. 410. n. 12.*

*Villers Ent. III. p. 607. n. 4.*

*Scop. carn. 1021.*

*Scbrank Enum. n. 1006.*

*Brabm. Infektenkal. n. 279.*

*Encyclop. method. Hist. nat. T. IV. p. 327. n. 11.*

*Rofft*

*Rössi Fn. etrusc. T. II. n. 1590.*  
*Schaeffer Icon. tab. 79. fig. 6.*

### *Descriptio.*

**C a p u t** ad basim antennarum valde barbatum; barbula atra: punctis duobus niveis ante oculos in mare, tribus in semina, tertio nempe e duobus minutissimis constante ad spatium oculorum intermedium.

**H a u s t e l l u m** atrum, longitudine capitis dupla.  
**A n t e n n æ** atrae.

**T h o r a x** ater pilosus, postice punctis duobus niveis scutello transverse adjacentibus.

**S c u t e l l u m** nudum, atrum, glaberrimum.

**A b d o m e n** atrum, lateribus magis pilosum, pilis fasciculatis, punctis niveis supra: uno majori utrinque ad basim, tribus utrinque ad apicem; his & quatuor minoribus in medio, longitudinaliter digestis.

**A l æ** basi fuscæ, puncto in medio lineolatae repanda nigris.

**H a l t e r e s** atri.

Hal-

Pedes atri.

Mensuræ. Longit. a cap. ad an.  $3\frac{1}{2}$  lin. Par.

— — alæ - -	$3\frac{3}{4}$	—
— — haustelli -	$1\frac{1}{4}$	—
Latitudo abdom. -	$2\frac{1}{3}$	—
— — alæ - -	$1\frac{1}{4}$	—

Variat duplo minor. Pili atri molles punctaque nivea præsertim in medio detritu facillima, hinc forte Fabricius unum tantem vidit punctum utrinque ad apicem, & Scopoli etiam in medio unicum.

Habitat vere & æstatis initio in pratis sylvaticis & montosis.

## IO.

BOMBYLIUS CINERASCENS. Tab. III, Fig. 10.

*Diagnosīs.*

B. alis basi nigris, cinereo-villoſus.

*Descriptio.*

**C**aput ab basim antennarum barbatum: barbula superius nigricante, inferius grisea.

**H**austellum nigrum, longitudine thoracis.

**A**ntennæ subulatæ, nigræ.

**C**orpus breve, nigrum, villo cinerascente undique tectum.

**A**læ hyalinæ, basi nigræ.

**H**alteres nigri.

**P**edes: femoribus cinereo-villoſis, tibiis fuscis, tarſis nigris.

Men-

Mensuræ. Longit. a cap. ad an.  $2\frac{1}{2}$  lin. Par.

— — alæ - -  $3\frac{1}{2}$  —

— — haustelli .  $1\frac{2}{3}$  —

Latitudo abdom. -  $1\frac{2}{3}$  —

— — alæ - - 1 —

Variat duplo major.

Habitat vere in pratis, rario.

---

---

II.

BOMBYLIUS SULPHUREUS. Tab. III. Fig. II.

*Diagnosis.*

B. alis hyalinis, sulphureus; tarsis nigris.

*Description.*

**C**aput sulphureo-villosum, barbula ad basim antennarum sulphurea.

**H**austellum nigrum, longitudine thoracis.

**A**ntennæ subulatæ, nigræ, ultimo articulo minus elongato.

**T**horax & abdomen villo sulphureo undique tecta; hoc detrito, nigra.

**A**læ hyalinæ.

**H**alteres flavi.

**P**edes griseo-fusci, tarsis nigris.

**M**ensuræ. Longit. acap. ad an. 3 lin. Par.

— — alæ	—	—	3	—
— — haustelli	-	—	1 $\frac{1}{2}$	—
Latitudo abdom.	-	—	1 $\frac{2}{3}$	—
— — alæ	—	—	1	—

Ha-

---

Habitat vere in hortis, rarus.

OBSERV. An Scopolii B. minimus *Ann. V. bist. nat. pag. 123.* ad hunc referendus sit, ex illius descriptione negativa non fatis patet. Forsan & illius B. minor *Ent. carn. 1020,* hoc spectat.

## I2.

BOMBYLIUS CANESCENS. Tab. III. Fig. 12.

*Diagnos.*

B. alis hyalinis, canescens; pedibus nigris.

*Descriptio.*

**C a p u t** ad basim antennarum barbatum: barbula nigrante.

**H a u s t e l l u m** nigrum, longitudine thoracis.

**A n t e n n æ** subulatæ, nigræ, ultimo articulo minus elongato.

**C o r p u s** oblongum, atrum, villo canescente undique tectum.

**Alæ** hyalinæ, basi parum rufescentes.

**H a l t e r e s** albi.

**P e d e s** nigri.

**P i l i** huic speciei molles, detritu faciliores quam in *B. sulphureo*, cui rigidiores.

**O B S E R V.** Schrankii *B. minimum*, *Enum.* 1005. ab hoc & præcedente plane diversum esse, corpus fulvescens subtus ni-

nigrum & alæ subfuliginosæ satis monstrant. Fabricii B. minimum ad hunc vel præcedentem referrem, nisi alæ apice fuscescentes (in ejus minimo) utrique contradicerent.

Mensuræ. Longit. a cap. ad an. 3 lin. Par.

— — alæ - - -	3	—
— — haustelli -	$1\frac{3}{4}$	—
Latitudo abdom. -	$1\frac{1}{2}$	—
— — alæ - - -	1	—

Habitat cum præcedente, rarus.

---

---

I 3.

BOMBYLIUS MAURUS. Tab. IV. Fig. 13.

## Diagnosis.

B. alis obscuris, niger, pilis fasciculatis  
cinereo-fuscis; haustello brevissimo.

## Synonymia.

*Encyclop. method. Tom. IV. p. 328. n. 15.*

*Bombylius maurus.* Niger, fusco hirsutus; antennis pilosis, rostro brevissimo.

*Villers Ent. Tom. III. p. 604. n. 48.*

*Asilus Bombylius,* niger, hirsutus, bombyliformis. *Tab. X. fig. 32.*

## Description.

**C**aput imberbe. Pili quidem antice copiosi, sed antennis insidentes; his demitis, pili desunt.

Haustellum nigrum, vix longitudinem antennarum excedit.

An-

**A**ntennæ nigræ: primo articulo magno, in-  
craffato, hoc & secundo pilosissimis,  
ultimo tenui, acuto, abbreviato.

**T**horax niger, pilosus: pilis cinereo-fuscis.

**S**cutellum nudum, aternum, glaberrimum.

**A**bdomen oblongum, nigrum, pilosum: pilis  
præsertim latere fasciculatis, cinereo-  
fuscis.

**A**læ breves, versus basim obscuræ.

**H**alteres nigri.

**P**edes nigri.

**M**ensuræ. Longit. a cap. ad an.  $3\frac{1}{3}$  lin. Par.

— — alæ - -	$2\frac{3}{4}$	—
-------------	----------------	---

— — haustelli - -	1	—
-------------------	---	---

Latitudo abdom. - -	$1\frac{1}{2}$	—
---------------------	----------------	---

— — alæ - -	1	—
-------------	---	---

**H**abitat vere & æstatis initio in hortis &  
pratis, frequentior.

## I4.

BOMBYLIUS PULICARIUS. Tab. IV. Fig. 14.

*Diagnos.*

B. alis hyalinis, nigricans; ore albo.

*Descriptio.*

**C**aput imberbe, antice prominulum: ore orbitisque oculorum albis.

**H**austellum nigrum, thoracis longitudine.

**A**ntennæ subulatae, nigrae.

**T**horax & abdomen oblonga, nigricantia, pilis rigidis brevibus pallide-fuscis corpori adpressis obsita. Oculis nudis fere nuda apparent.

**S**cutellum nudum, apice ferrugineum.

**A**lae hyalinae, latæ, coloribus nitentes.

**H**alteres oblongo-clavati, albi.

**P**edes nigri.

**M**agnitudo corporis vix pulicem superat.

Ha-

---

Habitat cum præcedentibus; semel tantum  
initio æstatis in flore *Chrysanthemi*  
*Levantini* prope Pragam captus.


OBSERV. Satis a Villerii *B. nudo* capite imberbi  
corporisque colore distinguitur.

---

## ADDITIONAL.

Cum hanc monographiam typis jam tradidissem, *Rossii Mantissa insectorum Tomus IIIdus* mihi occurrit, ubi vidi, ejus *Bombylium elongatum* (*p. 78. n. 576.*) cum meo *canescente* ut plurimum convenire. Etiam illius *B. aeneum* (*ead. pag. n. 577.*) cum meo *pulicario* eundem esse crederem, nisi magnitudo & alæ obscuræ contradicerent.

---



A. Caput Bomb: concoloris auctum a parte inf:  
B. O: dentata vagina. a. Margo semilunaris. b. Tubula.  
c. Setae. d. Pile. c. Apex valv: inferioris D. superi  
oris. E. Caput Bomb: atri mari. F. feminæ.

J. C. Hulan del.

J. Berka sc. Prague.



Tab. II.



1. *B. discolor*  
2. — *concolor*  
3. — *pictus*

4. *B. sinuosus*  
5. — *undatus*  
6. — *nubilus*



*Tab. III.*



7. *B. venosus*

8. — *stenopteru*

9. — *ster*

10. *B. cinerascens*

11. — *sulphureus*

12. — *canescens*





13. *B. maurus*. 14. a. b. *B. pulicarius* 15. Antenna  
magn. auct: a. *B. sinuata*. b. *picta*. c. *mauri*. 16. Ala  
*B. ctenopteri* aucta. 17. Haltere auct: a. *B. sinu-*  
*ata*. b. *atricornis*. c. *pulicarius*. 18. As *B. concoloris* aucta.





St.  
I

Inst. Zool. PAN  
Biblioteka

K.1896/II

